



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. XXXIX. Dixi, custodiam, &c. Carm. gen. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Fraudesq̄ uersat impias.

Ceu mutus ore, surdus aure, ego interim //

Obtorpui silentio,

Elinguis instar & stupentis, crimina

Qui nesciat refellere.

In te reposita est spes mea: ô rerum potens

Rector benignus annue.

Ne risus hosti sim superbo, qui meis //

Insultat insolens malis:

Qui, si uacillent lubrico lapsu pedes,

Læto triumphat gaudio.

Ad perferenda sum paratus uerbera: //

Vibice semper area

Cruenta turgēt exarati corporis

Sulcis flagrorum grandibus.

Merui scelestus fateor, heu merui: nocens //

Do iure pœnas debitas:

Sed inualescit hostis atrox interim,

Viresq̄ sumit factio.

Viuunt, uigentq̄, & immerentem iniuria

Me prosequuntur: pro bono

Malum rependunt: iugiter calumnias,

Quia recta sector, ingerunt.

Tu ne recede longius, neu deseras

Periculis in ultimis.

Accurre: dextram da salutarem, meæ

Salutis auctor unice.

PSAL. XXXIX. Dixi, custodiam, &c.

Carm. gen. 3.

E v

Qvum sæuus hostis me, meo lætus malo,
 Laceſſeret conuitijs,
 Mecum ipſe uerbis abſtinere ab aſperis
 Et iurgijs decreueram:
 Linguae obſeraui clauſtra fræno: pertinax
 Obmutui ſilencio.
 Ac temere ne quid os mali profunderet,
 Verbis bonis clauſi exitum.
 At ignis inſtar, uetitus egredi dolor,
 Exarſit intus acrius.
 Tandem obſtinatæ fræna pertinaciæ
 Perfregit ira, ac talibus
 Dominum rogauit, Mihi meæ uitæ modum
 Qui ſit futurus, indica.
 Quando euolabo liber hoc moleſtiæ
 Faſtidioſo è carcere?
 Tu clauſa nullo ſæcla degis termino,
 In te beatus ac potens:
 At nos quod æui uiuimus penè eſt nihil,
 Ac penè breuius quàm nihil,
 Umbra fugacis inſtar atq; imaginis
 Quam reddit æquor uitæum:
 Idq; ipſum inani in uanitate atq; anxijs
 Aegreſcit in laboribus.
 Animum libido torquet, inflat gaudium,
 Spes tollit, ac timor premit.
 Tumultuamur temerè: congerimus bona
 Incognitis heredibus.
 Quò me ergo uertam? quis laboranti feret
 Opem? quis eximet malis?

Spes

Spes omnis in te: miseræ fontem meæ
 Peccata tolle noxia.
 Néue esse stultis me finas & improbis
 Despectui & ludibrio.
 Hostis proterui lingua me quum turpibus
 Proscinderet conuitijs,
 Obmutui: iræ uindices pœnas tuæ
 Has esse gnarus scilicet,
 Rector parensq; gentis humanæ tua
 Paulisper aufer uerbera.
 Viresq; linquunt, uita nec semper nouis
 Plagis ferendis sufficit.
 Te persequente scelera pœnis, illico
 Vigor decorq; defluit,
 Tineis peresæ more uestis. O homo
 Caduca res & futilis!
 Parens benigne precibus aurem da meis:
 Neu uerba sperne supplicis.
 Neu lacrymanti auerte uultus hospiti.
 Nanq; hospes hanc terram colo:
 Nec ego, parentes nec mei certum locum
 Habemus hîc: sed in diem
 Solliciti & horas, turbidas molestias
 Vitæ breuis transegimus.
 Igitur seueram paululum abstine manum,
 Fessum ut resumam spiritum:
 Mortis priusquam, reditus unde non patet,
 Transmiserit me ianua.

PSAL. XL. *Expectans expectaui Do-*
minum, &c.

Carm. gen. 16.

Quum